[illegible]

[illegible]

DIVÆ MEMORIÆ

SERENISSIMI PRINCIPIS

AC DOMINI

DN. AVGVSTI

DVCIS BRVNSVICENSIVM

AC LYNÆBVRGENSIVM

HEROIS OPTIMI MAXIMI

MVSAGETAE INCOMPARABILIS

GERMANIAE NESTORIS

F.

HENRICVS MEIBOMIVS.

HELMÆSTADI,

Typis HENNINGI MVLLERI Acad. Typ.

Anno CIϽ IϽC LXVII.

Horatius.

DIGNUM LAUDE VIRUM MUSA VETAT MORI.

SERENISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO

DN.
RVDOLPHO AVGVSTO
DVCI BRVNSVICENSIVM AC LYNÆBVRGENSIVM

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO

QVod Auguſtis Manibus Opt. Max. Principis, Domini mei clementisſimi, Parentis Tui, carmen conſecravi, non tam famæ ipſius ad poſteros propagandæ (quæ, ut maxima, ſic æterna citra hoc erit) quàm devotisſimi obſequii mei habita ratione, id nunc Tibi offero, Serenisſime Princeps, cui ille amplum ſuum imperium relinquere & debuit maximè, & voluit. Cum enim Illi ſine ſine exemplo eruditisſimo Principi ſtudia mea vitam ipſam atque animam debuiſſe, & noſtri homines & exteri ſciant, non tantum illis, ſed Tibi quoque, Optime Princeps, ingratisſimus jure viderer, niſi, poſt funera etiam Mæcenatis mei, maximum debitum publicè confeſſus, illius quomodocunque ſolvendi rationem inirem. Meritas igitur tanti Herois laudes adumbravi, idque ligata oratione, cum jam tum alii id ſolutâ feciſſent, Ille autem dignus eſſet omni memoriæ genere celebrari.

Unum vereor, ne Poëtæ partes implesse, hoc est, addidisse quædam veritati videar illis, qui AVGVSTI magnitudinem non intelligunt, & ex aliorum ingeniis aut rebus gestis nostri seculi miraculum æstimant: Quàm autem ego certus sum, me hoc in carmine nihil præter verum dixisse, plurima autem nec scivisse, nec magnitudinem eorum cogitatione æquare potuisse: tam me ignorare fateor, quomodo in re creditu difficili secus sentientibus occurram, nisi ut ad Tuum, Serenissime Successor, exemplum eos remittam, in quo Paternas dotes, virtutemque inspicere & mirari poterunt. Det tantum ter Opt. Max. Deus, ut quemadmodum Te illarum, totiusque Amplissimi Ducatus hæredem lubentes hodie aspicimus, sic ad illud quoque inusitatum Parentis senium constanti robore pervenisse, aut nos, aut posteri nostri gaudeamus. Scripsi in Academia Iulia. IV. Eid. Aprilis, ipso Maximi AVGVSTI Natali die, quo ego votiva mea carmina quotannis humillimè offerre, Ille, quâ erat erga eruditos inusitata clementia, hoc devoti obsequii genus maximi æstimare solebat.

Serenit. Vestræ

Humillimus Servus

HENRICUS MEIBOMIUS.

QUod *Guelphos* fatale jubar, quæ sæva *Leones*
Astra premunt? nunquam, ah! nunquam *Brunonia* tellus,
Nobilis Heroum genetrix, patria inclyta Regum,
Majori concussa malo, nec acerbior urbes
Intravit, villasque dolor. Quo sprevimus omnes,
Fortuna famulante, minas, præque omnibus altum
Extulimus terris caput, hæc mortalia liquit
Imperia & cæli rutilam migravit in aulam
Augustus: nunc cum longis prudentia ab annis
Major ei, Patriæ magnis exercita curis,
Fama etiam, nomenque ingens, quâ mergitur undis,
Quâque iterum multum rutilans caput aureus effert
Cynthius, unde imbres pluvius denunciat Auster,
Unde ruit Boreas. Quis tantum carmine digno
Heroem canet, & laudes ad sidera tollet,
Sidera divinos nunc conspicientia manes?
Felix, cui tantum dederit Deus! ille Maronis
Æmulus, & magni cecinit qui fata Probini,
Materia major, mansuto in carmine vivet.
Ecquis ad Oenotriæ populos, urbemque natantem,
Et flavi Tiberis ripas Arnique cubile,
Quâque Araris Rhodanusque tuunt, qua Sequana Celtas
Alluit antiquos, tam tristia nuncia defert?
O! ubi nunc, per quem tibi, Sequana, Tibris & Arnus
Invidet, ingenuæ Gallorum maxima gentis
Gloria Menagius, quique omnes Heinsius ultra
Sirenum cantus & dulcia plectra Thaliæ
Ore perennifluo suavissima mella propagat?
Vos equidem Aonio perculsos pectora thyrso,
Longius à tumulo atque aula lugente remotos
Ingentem cantare Virum, cantare labores
Et vellem & fuerat melius. Mihi carmina luctus
Denegat & meditata resolvunt verba dolores.
Quis malè composito & tristi de pectore vidit

Mulcentes exire modos? petit ocia curis
Libera & in dulci juvenescit Musa quiete.
Vos dudum placido respexit lumine Phœbus,
Et sua plectra dedit: cælumque quoque mite calores
Dat proprios, facilemque rotunda in carmina venam:
Me frigus patriæ atque aliena negotia damnant.
Quin alia Pæan mihi spondet ab arte coronam.
Has lacrymas, hæc justa tamen prostratus ad urnam
Ut facerem, dominæque mei, nimiumque potentes
Jussere Aonides, tanto sub Principe quondam
Felices, uno mox Successore prioris
Spem meritæ fati. Tu, qui nunc sideris instar
Æthere colluces, priscos sive inter oberras
Felices Solymæ Reges, seu sanguinis ardens
Tergeminos spectas admirabundus *Othones*,
Da placidum Te, *Auguste*, mihi, & quem vivus amasti,
Divus ama, penetretque sacras hic lessus ad aures,
Et placeant, toties Tibi quæ placuére, camænæ.
Felix illa dies, magni quæ conscia partus,
Dædalâ quo totas aggressa recluderevires,
Atque omnes veteres nisu superare recenti,
Augustum Natura dedit. Tunc omine læto,
Qui dudum soliti Guelphos educere natos
Mars & Gorgoneis Pallas incincta colubris
Adstiterunt; tamen illa prior, sive ardua Martem
Belli cura coquens aliis tardaverat ausis
Sive est fœmineo major solertia sexu,
Excepit, lætis & sedula fovit in ulnis.
At dum blanda suos dextra permulcet amores,
Et sese totam miranti instillat alumno,
Dissiluit subito, quæ pectora contegit, Ægis,
Et qui in fulminea crispatus casside conus,
Armaque disruptis ceciderunt aurea vinclis.
Horruit insolitum Dea, sed deîn præscia lætum
Augurium agnovit, mox & se cernua cunis
Advolvens, voces præsago has edidit ore.
Ah! meus es, divine Puer, sed non tibi crudi hi
Non habitus, non arma placent, non Martis imago
Horrida. Laurinis galeam mitescere sertis,
Et ramo innocuæ vis cingi totus olivæ.

Eja

Eja age, pacificam, quam do tibi præscia, frondem
Accipe: non unquam dubio lætabere bello
Magnanimis æquus Patruis; non hostica victor
Regna pererrabis, lauruque redibis adepta.
Nec te belligeri stimulabit splendor Othonis,
Quanquam abavus, quanquam dedit huic Victoria nomen.
Pacis eris cultor: non hæc migrabit ab aula,
Nunquam aberit terris, quamvis confinia crudus
Hostis sollicitet, tumidoque subinde superbas
Evomat ore minas, nec desinat artibus uti,
In mediis hostem quærens insidus amicis.
Macte pio auspicio, Princeps! gaudere cruento
Sanguine & immani cives involvere bello
Crimen habet: rigidos extorque Regibus enses,
Da populis pacem, securaque tecta colono,
Numen eris. si quos armis devincere nescis
Arte doma. potuit prudentia sæpe, quod excors
Infectum planè vis imperiosa reliquit.
Per te sprera diu terras Astræa reviset,
Et quæ ferali bello enervata potestas
Conticuit legum, multa reparabitur arte.
Per Te Teutonicis doctrina resurget in oris,
Audebitque animos, priscumque resumere vultum.
Sæpe equidem dolui & magno sum questa Patenti,
Quod meus, ingenuas didicisse fideliter artes
Qui studet, insani nil sit nisi fabula vulgi.
Qui duce Mercurio extremos procurrit ad Indos,
Qui sequitur Martem, præclaris mactus opimis,
Mactus honore redit. mea gens post mille labores,
Post gelidas hyemis noctes, æstusque molestos
Sideris Icarii, famam nil præter inanem
Et miseram lucrata famem, sine honore senescit.
Nascere desertæ, Puer Augustissime turbæ,
Præsidium atque Decus. Te Principe Castalis unda
Pactoli, auriferique Tagi vel divitis Hermi
Muneribus fæcunda fluet, Pindumque per omnem
Ridebunt virides gemmis nascentibus alni,
Et nunqvam visas mirabitur incola baccas.
Quoque piis melius possis prodesse camœnis,
Multum alibi inconstans, bene cæptisque aspera rebus

Virtutique moras innectere gnara nocentes
Hic certa & vultu similis sibi semper eodem
Inveniet fortuna viam. Jam frons Tibi fulget
Fati plena sui. Tenues desuesce paratus,
Angustosque Lares & vectigalia parva
Hitzigeri patrii, majoraque concipe mente
Quam sperare queas. non parvi flumina Jetzæ
Sufficiunt, sed Brunoidum regnator aquarum
Oucet & ingenti tellus devota Leoni
Accipiet legesque tuas, mandataque supplex.
Vita etiam sat longa tibi, non tu tamen illam
Metiri annorum spatiis, numeroque dierum,
Sed vera virtute voles, pretioque laborum.
Invenies etiam tandem, Puer Optime, qui te
Virtutesque tuas & quæ Respublica nutans,
Aut variis afflicta modis Ecclesia, grato
Ore refert accepta tibi, vivace papyro
Vindicet à letho, venturisque inferat annis.
Virtutis dos ista tuæ. Dum altaria nostra
Igne suo & grato lucebunt thuris honore,
Semper honos nomenque tuum laudesque manebunt.
Hæc Pallas præsaga boni. Nos vera locutam
Scimus ab eventu & venientibus ingeret ista
Fastorum indubitata fides. Sub prima juventæ
Tempora jam multus tenero sub corde repostus
Vivit amor studiorum, occultoque æstuat igne.
Qui dein concreta radice tenacius hæsit,
Et penitus totis inolevit ubique medullis.
Totus in his habitat. quantumque acquiritur ævi,
Tantum doctrinæ accedit, naturaque nescit
Æmula ferre moras. Una est atque unica cura
Per dulces Musarum hortos & amœna vireta,
(Rara ubi magnorum legere est vestigia Regum,)
Nunc Clio monstrante viam, nunc Calliopeia,
Perduci juvenem, & sapientes condere gazas.
Jamque etiam morem supra ætatemque peritos
Doctrinæ miratur, amatque, nec errat in isto
Arbitrio sensus; sive hunc arcana sub ortum
Nascenti natura dedit, seu stemmate Gvelpho
Cognati cineres & magni nominis umbræ

Ad co-

Ad cognata ſuum ſtimularunt acta nepotem.
O! ſi alibi, in regnis virtute atque arte magiſtra
Eſt opus & ſceptris felicius utitur ille,
Regnandi legem cui dat ſapientia: Non eſt
Vis, quæ ſceptra parat, ſervatque, ſed enthea virtus,
Pacis alumna ſacræ. Non Trojæ funera miror
Palladio rapto. Prudentia cauta Regentis,
Et quæ Palladias multum nutrita per artes,
Imperiis fatum eſt. Jamque omnes ſedulus haurit
Scriptores, ſive hos doctrinæ nomine claros
Græcia, ſeu Latium noſtrum tranſmiſit in ævum:
Vos quoque, magnorum docto qui carmine facta
Heroum canitis. Nunc pagina ditis Homeri,
Pellæi exemplo, legitur: nunc magna Maronis
Muſa ſecuturo fæcunda exempla miniſtrat.
Neſtoris hic magni prudentia, fervor Atridæ,
Hic placet Æneæ pietas. Mezentius acer,
Dextra cui Deus & telum, quod miſſile librat,
Diſplicet, & cœli ultricis, te judice pœnas
Quas patitur, meruit. Mox pacis amore Latinum
Suſpicis; is primus ſceptris & maximus ævo
Multa deos aurasque pater teſtatur inanes,
Cuncta prius tentanda docens, quam cardine verſo
Belli ferratos rumpat diſcordia poſtes.
Nec minus Annales atque omnia ſecula luſtras,
In faſtis ſervata ſuis. Nunc Graja vetuſtas,
Nunc Romana tibi loquitur. Triſtiſſima damnas
Cæſareæ portenta domus & ſæva Neronis
Funera, Martigenæque horrenda incendia Romæ.
Mite Titi ingenium, facilesque in culmine tanto
Trajani laudas mores, Patriæque Parentis
Felicem titulum præfers cuicunque triumpho.
Auguſti tibi fama placet, non illa cruentis
Quam peperit bellis, ſed quam poſt otia pacis
Reddita, virtuti ſua præmia reddita, Muſæ
Unanimes dederunt. Ptolemæi maxima cura,
Quærendis impenſa libris Te detinet & cupis illum
Majori ſuperare auſu, ſi vita ſuperſit,
Seque tuo jungant famulantia fata labori.
Talia dum legit, atque omnis virtutibus addit

B Charta

Charta aliquid, juveni sensim prudentia crescit,
Non æquanda seni non & credenda nepoti.
Qui corpus juvenile & amænæ frontis honorem
Aspiciunt, cumque his prudenti examine facto
Contulerunt actus, inter juvenisque senisque
Nomina adhuc dubii gratis erroribus hærent.
Interea corpus multo durare labore:
Nunc galeam induere & pictis splendescere in armis,
Nunc corpus juvenile gravi exercere palæstra.
Non illo melior quisquam vel flectere fræna
Vel pariter docta vibrare hastilia dextra.
Cum molles sinuare fugas, subitosque recursus
Flectere, cum certos glomerare decenter in orbes
Incipit, artificesque stupent, nec Thessalus audet,
Sit licet acer equo, tantum certamen inire,
Et Centauréæ dubia est quoque gloria palmæ.
Ipse etiam sonipes (tanta est solertia bruto)
Sessorem agnoscit, melioraque pondera passus,
Promptior in cursus & promptius excutit armos,
Et ruit & patulis exspirat naribus ignem,
Et volat, ut tactam ignoret spectator arenam,
Si non pulveream videat post tergora nubem.
Hinc quoque Tyndaridi similis Calaique venusto
Venatuque feras agere & prævertere cervos,
Et bene pacata sub imagine ludere bellum.
Sæpe suos Pallas Dianæ invidit amores,
Sæpe suos Pallas huic commendavit amores:
Sit curæ tibi, Diva, precor: servate Minervæ
Pignus Hamadryades, ne forte cupidine magna
Venandi excitus sævos incurrat in ursos,
Ne in sævos incurrat apros & tristia mortis
Fata suæ acceleret: alia illi lustra, nemusque
Thespiacum æternam spondent per secula famam.
Jam quoque degenerem mens indignata quietem
Stare loco nescit, sed proxima sidera cæli,
Ætherœosque orbes cognari imitatur Olympi.
Diversos lustrare locos atque extera regna,
Cunctisque ingenitos populis deprendere mores
Cura fuit, Gallosque acres, fortesque Britannos,
Ingenio dites Italos, Belgasque beatos

Mercu-

Mercurio & proprio metiri munere quemque.
Quid mentem traxisse polo, quid profuit altum
Erexisse caput? glebæ si semper eidem
Hæremus, trunci de more, cui sua mater
Terra dedit vitam, fovit, conditque sepultum.
Non Ithace mentem multum experientis Ulyssis
Formavit: non sola Pylos te Nestora fecit
Exemplum, quo magna queat sapientia niti,
Sed varios latè populos vidistis & urbes.
Cognatique etiam, (nam externa requirere longe
Quid juvat?) Henricus virtute Leonis & alter
Henricus, clarum tribuit cui Græcia nomen,
Trans maria & montes, per culta, inculta viarum
Intrepidi iverunt, tanti sapuisse putantes.
Prima suas ostendit opes Germania felix,
Dives opum, fæcunda viris, lætissima campis
Uberibus, sacri custos fidissima sceptri.
Non ego te celebris, non, Argentina, silebo,
Tam multum dilecta Duci: Seu regius urbis
Splendor, seu doctis Academia nota theatris
(Quod reor & similis monstrat fortuna Tubingæ)
Hunc dederunt Heroa tibi. Nunc grata recense,
Quantus in Aonijs Princeps sudarit arenis.
O felix cathedra, & pilæ, & laquearia, quondam
Privatis damnata sonis! nunc Regia Proles
Nata ebori, soliisque insistere, & alta potenti
Sceptra tenere manu, tua sordida pulpita tangit.
Quodque Patres stupeant, Patribusque immista juventus,
Sublimi de sede tonat, componere prompta
Dissidium, positumque semel defendere verum.
Non tamen hìc hæsit: Sed quod superesse putaret
His aliquid majus, transmissis Alpibus ipsam
Lustrare Italiam placuit, mundique theatrum
Endogredi, atque illic prostrata cadavera & ipsas
Spirantes immane aliquid spectare ruinas.
Heu rerum fatique vices! urbs æmula cæli
Roma, triumphati spoliis quæ creverat orbis,
Barbaricis disjecta modis nunc clade superbit,
Et malè mulctatas & nil nisi rudera, moles
Et semesa situ, terræque sepulta cavernis

Hoſpitibus monſtrat monumenta: ut pauper & exſpes
Naufragii fragmenta ſui fert navita tergo.
Ah! quid purpureis tam mire effulta columnis
Atria, prolatæve ad ſidera proxima moles,
Quid Circi, Thermæve juvant? quid ſaxa favillis
Aggeſta & lapidi perituro nomina ſcripta?
Mauſoleum aliud, nullo delebile ſeclo,
Quod non imber edax, non audeat ulla vetuſtas
Deſtruere, *Auguſto* ædificant, pia numina, Muſæ.
Vnica, quam docti donant vivace papyro,
Neſcit fama mori & ſemper ſuccreſcit eundo,
Marmoribus ſenior fortique perennior ære.
Parthenope dein viſa, Auguſtæ proxima Romæ
Veſevusque ardens, Grajæque Dicarchidos arva, &
Quicquid habet multum ante alias Campania felix,
(Viſa ſemel tellus ſed ſemper digna videri)
Pauſilypi myrteta & tot cantata Poetis
Littora, nec procul hinc Neptunia Mergilinaa
Magnus ubi Maro, ubi culti jacet Actius oris,
Ambo animis ſimiles, macti virtutibus ambo,
Et cantare pares & reſpondere parati,
Nunc quoque vicinis compoſti membra ſepulcris.
Hæc loca (quis credat, niſi ſit pro teſte vetuſtas?)
Naturæ fæcunda bonis, fæcunda virûm vi,
Italiæ pars magna & magnis æmula regnis,
Sunt Guelphô regnata Duci. Si nullus Othonis
Grande decus, quos & toties ex hoſte triumphos
Rettulit, in Calabro cantabit littore Vates,
Hercyniæque Alpes & Muſis deditus Elmus
Commeritas laudes poſt ſecula terna ſonabunt.
Nil equidem intentatum, nil liquit inauſum
Perfida gens, perjura & celſi ſanguinis ardens,
Quam virtus Ducis & Germanæ gloria gentis
Obliqua invidia & ſtimulis agitabat amaris.
At non inſidiæ, non miſtis fraudibus arma
Non Capitolino plenus Jove Dyrrachinus
Fregit eum; ſolitæ vires & robur adhæſit
Teutonicum, & quamvis crudelia vincula paſſus,
Mox profugus, tamen ante obitum ſuper hoſte triumphans
Molle perennanti rexit cum laude Tarentum.

Hinc

Hinc quoque Trinacrios placuit lustrare Sicanos,
Et tristem Turcæ scuticam vastique orientis
Hortorem vidit Meliten: mox inde reversus
Ad patriam convertit iter, calcataque terra est,
Qua veteres Ubios Romana colonia, & ipsum
Gurgite cæruleo spectat decurrere Rhenum.
Vos quoque Cattorum proles genuina, Batavi,
Quique Mosam bibitis, Frisijque paludibus udi
Excipitis; dein nec Franci miracula regni
Prætereunt, reliquoque amota Britannia mundo,
Terra suis contenta bonis, quam divite cornu
Copia cunctarum rerumque opulentia mactat,
Quæ per Mechtildin magno sociata Leoni,
Et nostro cognata Duci. Tot regna secundo
Auspicio emensus, tot linguis callidus uti,
Ingeniique opibus dives & merce beatus
Doctrinæ omnigenæ patrijs se reddidit oris.
Sed quid ego illustris tantum primordia vitæ
Prosequor & celebres alio sub sole labores?
Qui fuerat dudum ceu lucida stella remoto,
Nunc patrio propius sua lumina dividit orbi.
Hinc mihi magna seges dicendi, at vix mea Musa
Sustinet endogredi factorum arcana Tuorum.
Deficio. non tanta rudi fiducia Phœbo est.
Qui tibi sceptra dedit, sceptri quoque contulit usum,
Ut posses prodesse tuis. Tum rectius illud
Europæ patuit, cum fato & jure paterno
(Et sine jure etiam poteras meruisse videri)
Accessit reliquo sceptrum mage nobile, magnæ
Principium curæ, virtutisque ampla probandæ
Materies. Et erant tum tristia tempora nostræ
Teutoniæ, in præceps atque in sua fata ruentis,
Qualia non vidit post fractas Tybridis undas,
Et Byzantini prostrata cadavera regni:
Scilicet & nostrum dijs ulciscentibus orbem,
Qualis ubi domitor ventis sua frena remittit
Æolus, illi alacres variis de partibus orti
Incumbunt terris, stragesque per æquora miscent,
Non secus innumeræ gentes de partibus orbis
Objice disrupto nostras invadere terras,

Jamque Italus, Gallusque audax & Cantaber atrox,
Lappionesque Gothique & quos non dicere versus
Sustinet, in mediis hærent Germanidos oris.
Tunc data libertas sceleri, magnoque tumultu
Confinis populatus ager, flammata protervè
Limina Divorum, spoliata altaria sacris
Vestibus, atque auro, dejectæ funditus arces,
In cineres versæ aut nudatæ mænibus urbes.
Terra ferax inarata jacet, pro palmite læto
Luxuriant spineta rubis, nulloque tenentur
Semirutæ custode domus, lapsumque minantur.
Ante oculos interque manus tristissima quæque;
Exsilium infelix, via lubrica, plurimus horror,
Continui fluctus, tempestatesque furentes;
Nec spes libertatis erat, nec meta ruinæ.
Quas Vesaris cædes, quæ funera viderit Albis,
Quos Oucer, quos Leina rogos, ut prosequar, horæ
Non satis unius spatium. Quæ debita nostro
Jure Duci tellus, simili quoque subjuga faro,
Non Domino possessa suo. Tum maxima virtus,
Major in adversis & conrra instantia fata
Pervigil, enituit. Tum Cæsaris aula loquentem
Obstupuit patria pto libertate, focisque.
Felix Guelpha domus tanto oratore, bonique
Certior eventus: nam, seu juvat ignea linguæ
Fulmina & infestos cum grandine fundere nimbos,
Eloquium Drancis, splendorem vincit Atridæ.
Lenia seu mavult, tardoque abeuntia cursu
Verba, nec occulto, sed fuso pingere flore,
Mellea Nestoreæ cedit quoque gratia vocis.
Ille animos unus doctus mulcere calentes,
Et præsens monstrare malum, monstrare futurum,
Nigra simultatumque evellere semina & ægras
Dissidiis mentes jucundæ pacis amore, &
Belli implere odio. Tanto duce & auspice tanto
Tollere visa caput regio hæc, finemque malorum
Sperare & priscis promittere moribus annos.
Numina Germanis tandem satiata ruinis
Invisam dudum, soli notamque senectæ
Reddiderunt pacem. Tum bello rupta sinistro

Fœde-

Fœdera vicinos inter renovata fuerunt.
Tunc populi posuere metus, tunc Oucer amæna
Fluxit aqua & pleno lapsurus in æquora cornu
Se citius Vesaris properavit jungere lymphis.
Æternum te flamma cremet squalentis Averni
Bellua, quæ magnos agis in certamina Reges,
Naturæque ipsos solvis discordia nexus.
Sis nostris ignota oris. Pax optima rerum,
Quas superos orare licet: Pax sedula nutrix
Doctrinæ atque artis: Pax arbitra juris & æqui.
Innumeris pax alma prior, potiorque triumphis,
Rara avis in terris & nulli propria genti,
Ni jubeat Deus omnipotens, qui fœdera pacis
Diligit & pariles inspirat Regibus ignes.
Sis animæ æternum comes indivisa beatæ,
Quæ nobis te prima dedit, sartamque reliquit
Magnanimo hæredi. Quàm laudando impere caussas
Irarum amôrit, justi rectique sequester,
Non pauci sensere Duces. Tuque inclyta nosti
Hassia & antiquo Leoburgi sanguine nati.
Ut taceam, nostro quæ nullus tempore nescit,
Quæque Amelis sero narrabit facta nepoti.
Non tamen is paci sic deditus atque quieti,
Ut non arma manu caperet, viresque minaci
Hosti ostentaret; si qua vocat usus, ab omni
Parte venit. Justo cives defendere bello,
Pro patrijs pugnare focis, deserta tueri
Agmina & imbelles in tuta reponere turbas,
Nullum crimen habet, sequiturque injuria nullam
Pax tali sub Marte latet. Tum Regia ad Ocrim
Mille modis munitur & alga impleta nocenti
Fossa repurgatur, mox circumducitur unda
Majori diffusa sinu. Sic tutus in aula, &
Cuncta novaturo multum securus ab hoste
Pacis amat, tractatque artes, vitiisque recisis
Elicit antiquas tenebroso è carcere leges,
Nunc gravior magis ille Numa, nunc denique Minos.
Non hîc divitiæ, non corrumpentia sensus
Dona valent, miserosque premunt: venduntur honores,
Sed sola virtute, & emit cum paupere dives.

Humano poſtquam ſtomacho vis ſæva leonis
Acceſſit, non æqua iræ moderatio cunctis
Obtigit, & noſtros animos movet impare fato:
Quantum mentis abeſt, tantum occupat. ille volenti
Nunquam animo pleni laxavit frena caloris,
Sontibus in ſenſus, ſed mox ignoſcere promptus.
Non illi delator iners, non murmura juſtis
Inſidioſa placent: ignarum odiſſe clientem,
Et nondum auditi damnare errata recuſat.
Promptior inſidias & cæca cubilia fraudum
Detegere, innocuiſque manum præſtare benignam.
Quam bonus ille bonis! quam præmia certa merenti,
Regaliſque favor! Si quid benegeſſerat olim
Aut avus, aut proavus, dudum memor ille ſepulti
Extat, & in ſobolem tranſcurrit gratia patrum.
Qualis ubi aërij decurrens vertice montis
Dat multis fons unus aquas: ſic largus in omnes
Influit, & poſitos neſcit clementia fines.
Vos primi ſenſiſtis opem, qui caſtra ſecuti
Muſarum, quorum fortunam atque aſpera fata
Aſpiciunt omnes, ſed læto lumine rident.
Vera ſui eſt equidem pretium, inculpataque virtus
Nec mercedis eget, nec rapto ſquallet honore.
Vix tamen invenias multis è millibus unum,
Qui ſua dum ſtudiis auctoramenta negari
Cernit, in hoc cupiat vitam decurrere campo.
Deme oleum lychno, lucemque negabit eunti:
Deme laboranti ſua præmia, ſegnior ibit.
Ut virgo, inſignis laudat quam gratia morum,
Nativuſque decor, ſi ſit ſine divite cenſu,
Si ſine dote, procos non invenit: haud ſecus artes
Ingenuæ, & quicquid Muſarum nomine claret,
Tam male dotatæ nullo potiuntur amore

Sit Tibi laus æterna *Auguſti* nominis Heros,
Aonidumque parens, & noſtri Cilnie ſecli,
Ingeniis ponens pretium. Te judice nemo
Munere ſuſcepti potuit caruiſſe laboris.
Ut virtus jubet, erga alios non prodigus auri,
Nec parcus nimium: in doctos Tua prodiga ſemper
Dextera, nec minui reditus, cenſumque gemiſcis,

Dum

Dum te sola inopem doctorum copia reddat,
Et tua participent dulces æraria Musæ.
Sola alti fervorem animi, studiumque juvandi
Bibliotheca docet, quæ per te maxima magnis
Auspiciis fundata fuit; Sit maxima semper,
Nec Sol majorem videat, qui non videt usquam.
Qualis ubi Zephyrus prodit, cupidamque marito
Rore levat terram, virides mox omnis in herbas
Gleba tumet, gratoque animantur prata calore,
Et ferrugineo violæ splendore coruscant,
Liliaque alba nive, atque rosæ se sanguine pingunt.
Sic tua dum steriles fæcundat dextera Musas,
Nescia squaloris, contemptus nescia prisci,
Se levat atque tuo Doctrina resurgit honori,
Seque ipsa major, majorque furentibus umbris
Invidiæ, fructus nunc hos, nunc explicat illos,
Auctoremque suum seclis monstrare futuris
Audet, & antiquis dat Mæcenatibus umbram.
Credite terrarum Domini, jam credite nostri
Principis exemplo. Nunquam majore coruscant
Luce Duces, nunquam per totum notior orbem
Purpura, Pierias quàm cum fovet illa sorores.
Tempora labuntur, lustrisque abeuntibus instant
Lustra, annis anni, atque horis labentibus horæ.
Nos etiam, incolumes qui nunc vitalibus auris
Vescimur, ad mortis leges revocabimur atras,
Serius aut citius, nec quæ vel vidimus ipsi,
Vel certa narrata fide cognovimus, ætas
Proxima scire potest, memori nisi credita chartæ
Effugiant fatum. Solæ, mea gloria, Musæ
Sunt, quibus æternæ custodia credita famæ.
Hanc, *Auguste*, Tibique dabunt, propriamque dicabunt.
Ante jugis ergo celsas increscere pinus
Abnuet Hercynius, niger indignabitur Elmus
Aerias quercus, fontesque revolvet ad udos
Pronas Albis aquas, aut nostro transfuga mundo
Se Nilo sociare volet, quam gloria factorum
Intereat, doctusque *Augustum* nesciat orbis.
Allera dum vitreum gelidus festinat ad Ocrim,

 Ocris

Ocris arenoso gaudet se jungere Leinæ,
Mactus aquis refluo miscerur Leina Visurgi,
Oceanumque Patrem cumulatis amnibus augent,
Laus Tua, Dive Parens, cumulato crescet honore,
Virtutemque Tuam, & plus quam mortalia facta
Posteritas ventura canet, nec desinet unquam
Filiolis hodie, cras ostentare nepoti.
Quid? quod & æternos misisti in secula libros,
Quos stupet & scripsisse velit, qui transigit ævum
In studiis, nec res potis est comprendere tantas.
Ringere censor iners, & solis crede privatis,
Non Ducibus debere libros & carmina scribi.
Et Ptolemæorum legit monumenta Canopus,
Historiamque sui secli descripsit Aratus:
Hannibal annales Grajo sermone reliquit:
Cæsar adhuc nobis recitat civilia bella,
Et gemini curas lustri, queis tota subacta
Gallia & à nostro disjuncta Britannia mundo.
Ille etiam, quem nostra ætas post funus adorat,
Cui debet triplicemque Britannia magna coronam,
Et Musas solio impositas, non credidit ostrum
Fœdari, & sacros per scripta volumina fasces.
Ne memorem nostros Guelpho de stemmate Julos.
Salve *Auguste* Heros, mea spes & gloria quondam
Nunc dolor & desiderium, luctusque bonorum.
Salve anima, ô m[illegible]um felix, pars ætheris alti
Lucida, nequicquam stellis radiantibus impar.
Si precibus pondus nostris, nisi vota fuissent
Irrita, quæ sacras toties prostratus ad aras
Exoriente die, rursusque abeunte peregi,
Non foret hæc lacrymis lux contristanda profusis,
Tuque anno hoc vertente, meæ pietate camænæ,
Audires meritas cum prole & conjuge laudes.
Quæ quoniam nobis nimis, ah! nimis aspra negarunt
Fata, & mundano pridem eduxere theatro
Te nostrum decus, & regni diadema paterni,
Quis siccas servare genas, gemitumque ruentem
Compressisse queat vel singultantia verba.
Pro lymphis lacrymas fundunt fontesque lacusque,

Flumi-

Fluminaque & rivi, mallentque redire retrorsum,
Quam solito cursu deserta per arva vagari.
Ipsi etiam venti strepitus & murmura ponunt,
Insuetosque cient gemitus, audire querentis
Jurares vocem; tantum natura doloris
Accipit! Hercynio stantes in vertice pinus
Ostendere suum mota radice dolorem, &
Demisere comas, videas Dryadumque recessus
Arcanos, sedemque sacram hoc mærore recludi.
Prima gemens sua damna dolet Germania mater,
Quæ toties celso Imperij gaudente senatu
Certam sensit opem, multum mirata potentis
Ingenij vires, nunc cassum lumine luget,
Et pleno invidiæ mactat cognomine Cæsar.
Ut Lunæ radios Hyperione natus & astra
Luna minora premit: sic vicit dotibus omnes
Ingenii, hocque uno meruit Germania laudis,
Græcia quicquid habet, tellus OEnotria quicquid.
Nec totum jam Teuto suus, sed maxima luget
Quæ vivi famam complexa Europa, suosque
Ingenii æternos tumulo decernit honores.
Una nimis concussa, gemens, pia numina Conjux
Sollicitat, tunditque trementi pectora palma,
Dilaniatque genas & eodem capta sub ictu
Conqueritur duo fulcra sibi, Dominumque, Maritumque.
An finem sibi damna negant, semperque sequendo
In cumulumque dolor crescit, ne flebile quicquam
Esse queat, sensumque malorum detrahat usus?
Scilicet, ut posses animo delere sororem,
Eripiendus erat, princeps in amore, maritus?
Tres superant nati: mentis vigor omnibus idem,
Idem etiam genius, famæque heroicus ardor,
Et pietatis amor. Nunc idem maximus omnes
Mæror habet, Patrisque & fata & facta revolvunt.
At mihi mutatam faciem quis totius aulæ,
Squaloremque dabit? non ebria pallia cocco,
Sidoniæque togæ splendent, sed syrmate longo
Verrit humum, mærens atrata in veste minister.
Quis lacrymas referet, quas tanto in funere cives
Effundunt? patrem ille vocat, laudatque paratam

Angustis in rebus opem: dominum ille fatetur
Majestate sua plenum, insontique benignum,
Convictisque gravem, sed & his ignoscere promptum
Dura nimis jactura, omnes quam fecimus illo
Funere, nec magna res hæc sine clade fuisset
Publica, & exundans partes transisset in omnes
Perniciale malum, si non superaret aviti
Nominis & virturum Hæres, Patris omnia magni
Persimilis. Audite boni solatia cives,
Quæ vobis patriæ ille parens moriendo reliquit.
Ille quidem extremæ positus sub limine vitæ
Regales operas designatosque labores
Cottidie excepit, studioque peregit anhelo.
Cum tamen exsuccum fractis ægrescere corpus
Viribus & cuncta ad finem spectare cupitum
Cerneret, heroam sobolem civesque sereno
Alloquio & tali mæstos solamine fovit.
Hactenus imperium à magnis majoribus ortum,
Delatumque mihi, per tot discrimina, & inter
Heu! steriles pacis messes, fæcundaque cladum
Secula, quo potui prudens moderamine rexi.
Hæc cura occiduo tenuit me maxima Phœbo,
Hæc eadem exoriente die lassavit, & ipsa
Flexamini sæpe invidit mihi munera somni:
Nunc rabie morborum, & longo immortuus ævo
Vixi & quem dederant cursum mihi fata, peractum
Cerno equidem, agnoscoque lubens. Me devocet orbe
Cum volet atra dies, & avitis manibus addat
Annorum & famæ saturum; mea pignora linquam
Civibus atque absens generoso in sanguine vivam.
Tolle moras, *Rudolphe*, & quæ tibi tradita cælo
Sceptra capesse libens: non nunc promptissima posco
Obsequia, & plenas pietatis imagine voces.
Hæc nobis, has ante dabas. Nunc suscipe curam
Dilectæ nimium gentis. Spem vince tuorum,
Auguriumque meum, & rebus titubantibus esto
Præsidium. tenero tractari pectore nescit
Publica majestas; non ætas amplius obstat
Immatura tibi, quantumque requiritur istic
Artis & ingenii, satis tibi cessit abunde.

Ipse

Ipſe ego te in veros eduxi Principis annos,
Et talem patriæ inſtitui, talemque relinquam,
Quem numen vocet illa ſuum, quo præſide felix
Audiat & pacem videat, pacisque fruatur
Muneribus, poſſitque aliis contendere terris.
Ipſe quidem fateor vinci, magnoque Parentem
Prævenis ingenio. Te, Te ſecutus ad aſtra
Succeſſore ferar. Jam læti & mente ſerena
Excipite, & domino cives aſſurgite veſtro.
Si quatere horrendum petulans Bellona flagellum
Occipiat, motus cieat diſcordia, nullus
Rudolpho regnante metus. Patris imbibit artes
Ille ſui, moresque, & aget ſine cæde triumphos,
Invitoque hoſti pacem extorquebit amatam.
Si velit impietas, vitiorum cincta maniplis,
Contemptrixque cohors divorum & neſcia cæli
Tollere ſæva caput, mox deprimet. Exeat aula hac,
Qui manes negat eſſe & ſubterranea regna,
Qui non vult pius eſſe, ſuoque à principe diſcat,
Quem meritus cultum Deus, & quos Numen honores
Talia dicentem ſenſim mors occupat atra,
Involvitque oculos tenebris, & vocis anhelæ
Intercludit iter, remanent compoſta jacentis
Membra, ipſum videas vultum poſt fata ſerenum.
Nativum retinere decus: non ora tumore
Squallida, non oculi informes, propiora ſopori
Omnia, quam letho. tantum procul illud abeſſet!
Sic bonus æſtiva cum longa eſt luce viator
Ambiguum permenſus iter, cum ſtragula vix dum
Attigit, & feſſis abjecit amicula membris,
Solvitur in ſomnum, & vix verba precantia claudit.
O decus æthereum, terrarum gloria quondam,
Vivis apud ſuperos, ſed noſtro hoc vivis in orbe,
Dum tua poſteritas hæres virtutis, opumque
Iſta repræſentat, quæ te fecere beatum.
Quanquam alias noſtro tenebras videamus in orbe
Sole cadente ſequi, nulla hic mutatio: Phœbum
Excipit occiduum majori Aurora decore.
Salve heros *Rudolphe*: facit tua maxima virtus

Atque hodie nullis ignota, querantur ut omnes
Imperium tibi ſero datum. Quam blanda ſerenæ
Frontis & Auguſtâ cum majeſtate voluptas!
Quantus in ore Pater radiat! nil maximus ille
Divorum, Pater ille Tuus, quem æterna coronat
Gloria, nil toto meruit felicius ævo,
Quàm cum Te nobis genuit. Te ſoſpite nunquam
Auguſtum ſua fata Patrem ſubiiſſe fatebor,
Et priſcos mea Muſa ſibi ſpondebit honores.